

Q. N.  
428  
9.

X 186 2334

180  
II n  
670

Q. B. V.  
EX THEOLOGIA GENTILI  
DE  
VALETUDINIS

DIS DEABUSQVE,  
INDULTU AMPLISS. SENATUS PHILOSOPH.  
IN ILLUSTRISSIMA ACADEMIA LIPSIENSI

SUB PRAESIDIO  
M. JO. FRIDERICI MAYERI, LIPSIENS.

respondebit

JACOBUS RÖSLER / Lipsiens.

III. NON. DECEMB. A. O. R. clz. lcc. LXX.

LIPSIÆ,  
TYPIS CHRISTIANI MICHAELIS.



DEO  
UNI ET TRINO

MEDICINÆ ET SALUTIS

PRÆSIDI

*UNICO. OPT. MAX.*

TABULAM HANC. ÆTERNÆ GRATITUDINIS

INDICEM.

*PRO SALUTE ET INCOLUMITATE SUA*

*A DOLORIBUS GRAVISS. LIENIS LIBERATUS*

*E.*

JO. FRIDER. MAYER,

V. S. L. M.



## JESU FORTUNANTE!

THES. I.

**N** Heologia gentilis incertitudo, in-  
numeros Deos Deasq; fecit, a) a-  
deò, ut rerum etiam abjectissima-  
rum, b) omnium actionum c) &  
necessitatum humanarum, divinos praesides  
Ethnici agnoverint; uniusq; rei non unum,  
sed plures; quod valetudinis exemplo clarum  
fit.

a) Fundamentum enim hoc totius Polytheismi videtur.  
Gentiles, cum sibi persuasissent omnes res Deorum  
subjacere imperio, & illas quidem providentiâ dignari  
divinâ, (dissentiente licet Ennio, Cicerone teste de  
Divinat. Lib. II. p. m. 401. Ed. Gothofr.

*Ego Deum genus esse semper dixi, & dicam caelitem:*

*Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.)*

cogebantur plures Deos admittere, postquam unita-  
tem DEI impugnassent; cumque prius paucioribus  
contenti fuissent, quemadmodum Romani, *Consentibus*  
XII Jovis collegis, & consiliariis, ab Ennio hoc disti-  
cho comprehensis:

*Juno, Vesta, Minerva, Ceresq;, Diana, Venus, Mars,*

*Mercurius, Zeus, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

A 2

Infru-

Infrugiferos postea agros experti, quem ex his diis invocarent, ignorantes, licet Cereri hunc honorem deferre potuissent, hoc tamen premebantur dubio: num quid non ipsa terra dea est? variis suis effectibus & hæc ipsa sterilitate propriam divinitatem prodit, atque ita numerum dearum Tellus auxit. Pari modo postmodum Janus, Saturnus, Genius, Pluto, Bacchus, Sol, Luna adjecti, nomenque *Deorum patritiorum* obtinuerunt. Verum Ægyptiis & Phœnicibus, Sol, Luna, Terra, Cœlum primi dii fuere. conf. Georg. Horn. Hist. Philos. Lib. I. c. 3. Tangit hoc dubium Arnobius Lib. III. adversus gentes p. 60. Edit. Elmenhorst. *Neque enim sciri est facilè, definita & certa sit eorum numeri multitudo: an sine ulla populositatis summa sit, nec computatione alicujus rationibus terminata. Fingamus enim vos Deos mille percolere, vel millia potius quinque: At in rerum natura potest forsitan fieri, ut deorum millia centum sint: Potest ut hoc amplius, immò (quod diximus paulò ante) potest Deorum summa esse nulla, nec numerabili circumscriptione finita. Aut igitur & vos impii, qui præter Deos paucos reliquorum officia non obitis. Aut si vobis veniam cæterorum ignorantia postulatis, eandem & nobis conciliabitis veniam, si pro parte consimili eorum religionibus abstinemus, quos esse omninò nescimus.*

b. Ut dea *Spiniensis*, quæ spinas ex agris eradicaret, meminit ejus Augustinus, Lib. IV. de civ. Dei. c. 21. pag. 447. Dea *Cloacina* in cuius tutela cloacæ erant. Vide de hac præter alios Cyprianum quoque in Tractatu, quod *Idola dii non sint. Sterculius*, sive sterquilinus Deus, quod stercoratione uti docuerit: Tertull. Apologet. c. 25. Audiamus de his Arnobium Lib. IV. adversus Gentes. p. 78. *Quis Limentinum, quis Limam custodiam liminum gerere & janitorum officia sustinere: Cum fanorum quotidie videamus, & privatarum domorum convelli & subrui: Nec sine his esse flagitiosos ad Lupanaria commeatus? Quis curatores obli-*

*obliquitatum Limos? quis Saturnum praesidem sationis? Quis Montinum Montium? Quis Segnium Murciam? quis ad extremum Deam pecuniam esse credat?*

c) Non virtuosarum solum, ipsa enim *Virtus* dea erat, cuius Sacellum primus M. Marcellus erexit; Verum etiam *malarum* divinos agnoscebant praesides, *Lavernam*, puta, furibus praesidentem Festo pag. m. 304. teste, *Calumniam* & *Impudentiam* aris Athenienses celebrarunt, ut Theophrastus apud Diogenianum Lilio Gyraldo Syntagm. I. p. m. 37. citatus, scribit. *Fraus*, dea erat, Boccatio in Genealog. Deorum affirmante. Adducamus Eusebii hac de re sententiam, quam oratione de laudibus Constantini imperatoris p. 944. exponit: Quam Johannes Christophorus Anglus ita interpretatur: *Ethnicis deus existimabatur voluptas corporis, deus alimentum, deus hujus propago, deus fructuum origo, deus ebrietatis delicia, deus carnis desideria, deus denique earum rerum oblectatio. Hinc Cereris & Proserpine mysteria: Hinc Proserpine raptus à Plutone, ejusdemque restitutio: hinc Bacchi initiationes: hinc Hercules ab ebrietate, tanquam à potentiore dea, victus: Hinc Amoris & Veneris Mysteria adulterii plena. Hinc Jupiter ipse mulierum cupiditate insaniens, & flagrans amore Ganymedis. Praeclare quoque in hanc rem Arnobius l. c. Quis est enim qui credat esse deos Lucrios, & lucrorum consecrationibus praesidere, cum ex turpibus causis frequentissime veniant, & aliorum semper ex dispendiis constent? Quis libentinum, quis Liburnam libidinum superesse tutelis, quas jubet sapientia fugere, & quas mille per species propudiosa experitur & exercet obscenitas?*

## THES. II.

*Varios enim valetudinis credebant Antistites, quos ex Ethnicorum theologia in deos*

A 3

&

Et Deas d) distinguamus: Ex Diis præcipui erant Apollo e) cum filio Æsculapio f) Ex Deabus autem Isis g) Et Minerva. h)

d) Sexu deos inter se differre sibi persvaserant Gentiles; Rationem dat Porphyrius, Eusebio L. III. de præpar. Evangel. c. 3. p. m. 57. Ed. Bas. adductus: Sedentes alios Deos, stantes alios deos, mares alios, alias foeminas & virgines, aut matrimonio conjunctos diverso quoq; amictu simulacra constituunt, ut diversitas deorum non lateat. Sed quandoq; certi non erant in alicujus Dei sexu. Egregiè Arnobius. Lib. III. pag. 61. *Non enim Deus mas est, sed nomen ejus generis masculini est, quod idem vos dicere religione in vestra non quitis. Nam consvestis in precibus, sive tu Deus, sive Dea. dicere: Quæ dubitationis exceptio dare vos diis sexum disjunctione ex ipsâ declarat.* Et Orpheus Apulejo de Mundo p. m. 75. Edit. Elmenh.

*Zeûs ἀρσὴν γένετο, Ζεὺς ἀμβροτος ἔπαλθε νόμφη.*

*Jupiter Et mas est, estq; idem Nympha perennis.*

Valer. Soranus quem Athan. Kircherus Synt. III. Oedip. Ægypt. p. m. 175. nominat.

*Jupiter omnipotens, Regum, rerumq; deumq;*

*Progenitor, genitixq; deum, deus unus Et omnis.*

Ob quam causam M. Z. Boxhornius quæst. Rom. XII. p. 56. lapidem istum Romæ inventum

SIVE DEO,  
SIVE DEÆ  
C. TER. DEXTER  
EX VOTO  
POSUIT

de

de Jove interpretatur.

e) Medicina Apollinis inventum creditur. Ita enim Isidorus Lib. IV. orig. p. 87. *Medicinæ Artis Autor & repertor apud Græcos Apollo perhibetur: Hæc autem ad parandam sanitatem optimum est remedium: hinc sanitatis DEus quoque credebatur docet, hoc August. Lib. IV. de civ. Dei c. XXI. Cur propter agros medicus invocandus vel Apollo vel Æsculapius, vel ambo simul, cum grande esset periculum. Hinc etiam opifer appellatur. Ita enim Ovidius illum inducit loquentem Metamorph. Lib. I. vers. 521.*

*Inventum Medicina meum est; Opiferq; per Orbem*

*Dicor: Et herbarum subjecta potentia nobis.*

Sic etiam apud eundem Phœbea dicitur ars Medicina L. III. Fast.

*Vos quoq; Phœbea morbos qui pellitis arte,*

*Munera de vestris pauca referte Dea.*

Nec difficilem eum in exaudiendo ægrotorum voto simulacrum ejus indicabat, quod facie hilari, juvenili- que fingebatur, manu dextra gratias gestans, sinistra- verò Arcum & Sagittas, quod ad noxam ex Macrobian sententia (Gyrard. Synt. XIII. p. 403.) pigrior esset Deus, & promptior ad salutem. Dissentit tamen circa hoc simulacrum Albricus Philosophus in Libello de Deorum imaginibus.

f) Ciceronis Lib. I. de nat. Deor. est. *Antiquitus Dii habiti, à quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa. Cumq; à Patre Apolline artem medicam (insigne erga humanum genus beneficium) Æsculapius accepisset, & insigniter ampliasset, ita ut novam plane artem invenisse videretur, inter maximos Deorum relatus fuit, adeò ut Apulejus de Deo Socratis p. 50. cum ubique coli adferat. Sanè qui periculosè ægrotabat hujus Dei templo infer-*

ferebatur, & ab eò tanquam à sanitatis ac valetudinis Præ-  
 sidente, salutē flagitabant (ita enim *Arnobius L. i. adv. gent. Æ-*  
*sculapium post supplicia fulminis custodem nuncupavistis & præsidē*  
*sanitatis, valetudinis ac Salutis.* Notanda heic veniunt He-  
 rodiani verba, Lib. iv. c. 8. de Imper. Antonino Cara-  
 calla: Ἡπειχθη εἰς πέργαμον τῆς Ἀσίας, χεῖρα δ' αἰ βελάμενος  
 θεραπείας τῆς Ἀσκληπιῶ. ΑΦικόμενος δὴ ἐκεῖ, καὶ ἐς ὅσον ἤθελε τῶν  
 ὄνειράτων ἐμφορηθεὶς ἤκεν εἰς Ἴλιον. Pergamum adiit Asia civitatem,  
 ut Æsculapii curationibus uteretur. Quò postquã pervenit, som-  
 niis quã diu voluit captatis, Ilium mox petiit. Quorum verborum  
 somniis quamdiu voluit captatis, ex per vetusto incuba-  
 tionis ritu in Deorum templis, explicationem accipe.  
 Inferebant enim veteres Ægyptii, Græci & Romani æ-  
 grotos in Dei alicujus sacellum, expectantes morbi  
 curationem quæ in somnio indicaretur; quemadmo-  
 dum mulier cæca monita est in somnio ut Imperato-  
 ris genua oscularetur, quæ & illo remedio visum rece-  
 pit, affirmante id Ælio Spartiano in Hadriani vita p. m.  
 133. Testatur id etiam specialiter de Æsculapii templo  
 in Epidauro. Lib. III. c. 3. Jamblichus (autori anno-  
 tationum ad Thom. Broune Religionem Medicam sect.  
 XXX. pag. m. 193. citatus.) *In Æsculapii templo somnia*  
*accipiuntur, quibus morbi curantur;* Plautus *Curcul. Act. I.*  
*c. I. vers. 61.*

*Hinc Leno egrotus incubat*

*In Æsculapii fano.*

Hujus incubationis eruditum commentarium scripsit,  
 Had. Turnebus *Advers. Lib. I. c. 7.* Vosius *Theol. gent.*  
*Lib. III. c. 35.* de somniis p. 901. edit. Fr. Conringius de  
*Hermetica Medicina cap. xi.* & Excellentiss. nunc Aca-  
 demix Juliae Medicinæ Professor Joh. Henricus Mei-  
 bomius in dissertatione de Incubatione in fanis Deo-  
 rum, Medicinæ causa olim facta sub Admirandi CON-  
 RINGI



RINGI Præsidio Anno c<sup>l</sup>o I<sup>o</sup>c LIX. habita. Adducam  
inscriptionem aliquam melioris illustrationis ergò, quæ  
primùm inventa dicitur in Insula Tiberina in Æscula-  
pii fano, ex Hieronymo Mercuriali Lib. I. de arte Gy-  
mnast. c. 1. quæ unà cum aliis Ampliff. Meibomio §. 36.  
etiam adducitur: ita autem se habet ex latina versione:  
LUCIO AFFECTO LATERIS DOLORE, ET DESPERATO  
A CUNCTIS HOMINIBUS ORACULUM REDDIDIT  
DEUS

VENIRET ET EX ARA TOLLERET CINEREM, ET UNA  
CUM VINO COMMISERET ET PONERET SUPRA  
LATUS.

ET CONVALUIT, ET PUBLICÈ GRATIAS EGIT DEO  
ET POPULUS CONGRATULATUS EST ILLI.

Quam incerta autē hujus fuerit curatio, Svetonius docet  
in Claudio c. xxv. Cum quidam ægra & affecta man-  
cipia in insulam Æsculapii tædio medendi exponerent,  
omnes qui exponerentur, liberos esse sanxit, nec redire  
in ditionem domini, si convaluissent: quod si quis ne-  
care mallet quem, quàm exponere, cædis crimine te-  
neri. Et adversus Gentes Arnobius Lib. I. pag. 17.  
*Vobis ostendi, quot tabificis affectos morbis, nullam omninò retu-  
lisse medicinā? cum per omnia supplices irent templa, cum Deorū  
ante ora prostrati, limina ipsa converrerent osculis: cum Æscu-  
lapium ipsum datorem (ut predicant) sanitatis, quo ad illis su-  
perfuit vita, & precibus fatigarent, & invitarent miserrimis  
votis. Nonne alios scimus malis suis commortuos, cruciati-  
bus alios consenuisse morborum, perniciosius alios sese habere  
cæpisse, postquam dies noctesq; in continuis precibus & pietatis  
expectatione triverunt? Quid ergò prodest ostendere unum aut  
alterum fortasse curatos, cum tot millibus subvenerit nemo:  
& plena sint omnia miserorum, infeliciūq; delubra? nisi for-  
te dicatis, opem bonis ab diis ferri, malorum miseras despici.*  
Et Plautus Curcul. Act. II. sc. I. V. 1. seqq. p. m. 323, ed. Taubm.

B

Migrare.

*Migrare certu' st jam nunc è fano foras  
 Quando Æsculapî ita sentio sententiam:  
 Ut qui me nibilifaciat, nec salvom velit.  
 Valetudo decrefcit, accrefcit labor.  
 Nam jam, quafi Zonâ, liene cinctus ambulo.  
 Geminos in ventre habere videor filios.  
 Nihil metuo, nifi ne medius difrumpar mifer.*

Priores tres verſus ſolemne fuiſſe ægrotorum formulam, cum ægri ex Inſula Æſculapii recederent, ſcriptor diſſertationis de Æſculapio p. 20. amicus in Academia Argentoratensi noſter dilectiſſimus affirmat, adducens Hier. Mercurial. Variar. Lect. Lib. I. c. 13. eadem ſententiam, ſed fundamentum & certitudinem hujus ſententiæ ego penetrare nondum potui, nec ſpero ullum conſentientem (quantum ego ſcio, quæ ſcientia tamen exigua) Plautinum habebit interpretem. Deſignam de Æſculapio commentari, ubi priùs ejus ſimulacrum adjicero ex Albrico Philoſopho de Deorum Imaginibus, ita autem Albricus: *Æſculapius dictus eſt filius Apollinis, qui Deus medicinae & medicorum putabatur. Ejus imago, erat homo quidam, cum barba valde prolixa, indutus habitu Medici, ſedens: in cujus ſinu erant pyxides unguentorum: & alia instrumenta ad Medicum pertinentia. Cujus manus dextra barbam tenebat, ſiniſtra vero baculum cum ſerpente geſtabat intorto.* Hujus verò ſimulacri explicacionem à Natali Comite, Gyraldo & Voſſio pete, quam brevitatis cauſa libenter hic tranſeo.

g) De Romanis teſtatur Jo. Bapt. Caſalius Lib. de vet. Ægyptiorritibus c. 20. Et Meibomio quoq; §. 18. adductus, qui nummū adfert Claudii Imp. in quo Iſis cum ſitula & ſiſtro, inſcribitur SALUS AUG. & hinc ſiniſtra herbam gerit Iſis, dextra navigium. Templum ejus Romæ erat inter Sextum & thermas Antoninianas Fabricio

p. 99. teste. De Ægyptiis notatu dignissimus est Diodo-  
 ri Siculi locus, Lib. I. Biblioth. cap. 25. *Isis*, scribit, multa  
 sanitati hominum pharmaca invenisse Ægyptii tradunt, utpote,  
 que scientiæ Medicæ fuerit peritissima, adeoq; multa solenter  
 excogitasse: quam ob causam nunc quoq; ad immortalitatem  
 elata sanatione hominum maximè gaudeat & in somnis si quis  
 opem expetierit, manifestam numinis presentiam, promptamq;  
 indigentibus bene merendi facultatem exhibeat. Ad demonst-  
 randum hæc non asserre se ajunt Græcorum more fabularum vani-  
 tatem, sed factorum evidentiam: nam totius propè orbis testi-  
 monio se niti; qui effusis deam honoribus ob præsens in medi-  
 cando numen, remunerentur. In somnis enim adsistentem agro-  
 tis remedia contra morbos subicere, eiq; morigerentes nec opi-  
 nato convalescere. Multos etiam à Medicis propter morbi diffi-  
 cultatem desperatos ab hac salutem accipere: plurimosq; oculis  
 prorsus captos, aut alia corporis parte mutilatos, si ad Deæ  
 hujus opem confugerint, in pristini vigoris integritatem restitui.  
 De Ifide sanitatis Dea, quæ nunc diximus, non videntur  
 infringere conjecturam, quod ob hoc beneficium etiam  
 Hygeia dicta fuerit, cum enim Myrionyma audiret  
 Vossio Theol. gent. Lib. II. c. 24. p. 421. teste; (à singu-  
 lis siquidem effectibus peculiare nomen accipiebat.)  
 nullus dubito, quin ob restitutionem sanitatis Hygeiæ  
 titulo quoque fuerit salutata. Sed hæc propterea scribo,  
 ut me eruditiores, judicent, annon tabula illa, quam  
 Phil. Jac. Tomasinus in libro de Donariis & Tabellis  
 votivis cap. I. exhibet, in qua duæ plantæ pictæ erant  
 cum hac inscriptione: *QVIE JANAE*. Ad latus verò  
 plantarum *H. D.* (Hygiæ donum) ad Isidem quoq; re-  
 ferenda sit; licet contraria sentiat Tomasinus ita scri-  
 bens: *Hæc tabella non Isidi (ut quibusdam videtur) sed Hygiæ*  
*appensa, quod Hygiæ ope quispiam pedibus forsan laborans sani-*  
*tatem recepisset.* Assumamus autem necesse est Chr. Ad.  
 Ruperti sententiam, quam exponit in epistola ad Th.

Reinesium ep. xxxiv. p. 203. corruptam esse inscriptio-  
nem, & pro QVIE JANAE legendum DIVAE JANÆ,  
Jam verò Diva Jana, eadem quæ Diana (Voss. Theol.  
Gent. Lib. II. cap. 18. p. 386. Lib. II. cap. 25 p. 426. prolixè)  
Diana autem Isis erat; sensus itaque illius donarii hic e-  
vadet: ISIDIS HYGEIÆ DONUM. Atq; si credamus Isi-  
dis Hygiæ anathema hoc esse, stare poterit & Tomasini  
sententia, & eximentur illi quoad illud varii scrupuli. Sed  
conjecturam hanc esse juvenilem nemo non videt,  
quæ veniam sibi ab eruditioribus pollicetur.

h) Colebatur Minerva Hygeia ab Atheniensibus, cujus Sta-  
tua, in acropoli, ænea spectabatur, à Pericle posita,  
quod ei in somniis Dea ostendisset, quomodo sanaretur  
artifex tantum non conclamatus, qui in propylæorum  
constructio- ne ceciderat, Vide de hoc Plinium. Adora-  
batur etiam Minerva  $\Sigma \tau \epsilon \rho \alpha$  Hesychio teste, cujus Ga-  
lenus sapisit me meminit, & antidotus quædam ab eo  
vocatur, vide Gyrald. Syntagm. xi. Hist. Deor. p. 341. &  
Suidam voce  $\upsilon \gamma \epsilon \iota \alpha \text{ } \Lambda \eta \nu \alpha$ . Apud Romanos Minervæ Me-  
dicæ Templ. in V urbi regione erat *G. Fabric. Romæ*  
c. 10. p. 63 ed Helm. Meminit hujus Minervæ Cicero  
lib. 2. de Divinat. *Si scribi sine Medico medicinam dabit*  
*Minerva, Musæ scribendi legetur, di ceterarumq; artium scientiam,*  
*somniantibus non dabunt.* Ad quam Minervam etiam  
*Laur. Pignori* in libro *Symbo ar. Epistoliar* ep. 38. ad  
L. P. Albertini in illam *G. uterianam* Inscriptio- nē MLXVII

MINERÆ AUG.

L. CALLIDIUS PRIMUS

BRIXELLANUS EX. ARG.

LIB II. ITEM L. CALLIDIUS

PRIMUS AURES ARGENTEVS

V. S. L. M.

refert. Ex quibus corrigenda videtur M, Z, Boxhornii o-  
pinio

pinio in quæst. Roman. i. p. m. 16. circa monumentum hoc  
vetustum, quod in Grutero p. LXXXI comparet:

MINERVÆ  
MEMORI  
COELIA JULIANA  
INDULGENTIA  
MEDICINARUM  
EJUS INFIRMITATE  
GRAVI LIBERATA  
D. P.

conjiciens, vel in hâc inscriptione varia Deorum munera  
confundi, non enim Minervam medicinæ præsidem, vel sup-  
posititiam esse, vel, Coeliam illam Julianam mente ad tem-  
pus fuisse captam, postmodum autem sibi restitutam Mi-  
nervæ velut sapientiæ & rationis Præsidi lapidem hunc de-  
dicasse. Falsa enim prima est sententia confundi in illo la-  
pide Deorum curas, siquidem & Minerva Medica sanitatis  
& Medicinæ quoq; Patrona erat, quod vel ex Cicrone scire  
poterat.

THES. III.

*Atque hi valetudinis antistites erant, ex  
classè Deorum Majorum. i) Ex ordine Mino-  
rum erat Meditrina<sup>k)</sup> & Juturna.<sup>l)</sup>*

i) De Divisione hâc lege Vosium Theol. Gentil. Lib. I. cap. 14.  
p. 110 & Salmasium epist. ad Menagium de Herode infanti-  
cida. Cic. lib. i. de nat. Deorum &c.

k) Meditrina à medendo dicta, in cujus honorem quoque Me-  
ditrinalia instituta, quæ mense Octobr. celebrabantur conf.  
Paul. Manutium de kalend. Rom. Vet. in autoribus Gothof.  
p. 1395. de quibus Varro de Latin. Lingv. Lib. V. pag. 34:  
*Meditrinalia dies dictus à medendo, quod ut Flaccus flamen Martia-  
lis dicebat, hoc die solitum vinum novam & vetus libari & degi sta-*

ri medicamenti causa. Quod facere etiam solent nunc multi cum dicant: Novum vetus vinum bibo, novo veteri morbo medeor, eadem & Paulus Diaconus habet p. 316. quæ verba Dion. Gothofredus in not. ad Varronem ita exponit: *Meditrinalibus mustum vinum novum libantes & gustantes boni ominis causa veteris dixisse.* Ita etiam Plinius Lib. 28. c. 2. *Cum ad primitias pomorum hæc vetera esse dicimus, alia nova optamus.* Plutarch. *quæst. sympos. 14.* refert novum vinum bibentes solitos fuisse precari ἀβλαβῆ καὶ σωτήριον αὐτοῖς ἔ φαρμάκον τὴν χεῖρσιν γενέσθαι. Hanc Deam eandem Celeberrimus Vosius Theol. Gentil. Lib. VIII. c. 6. p. 371. arbitratur cum illa, quæ Græcis ἰάσω dicitur, siquidem ἰάσω ἢ τὴν ἰάσιν ὠνόμασαι scribit vetus Aristophanis Scholiastes in Plutum.

- 1) Juturna, Turni soror à juvando dicta ex Varronis mente, de L. L. lib. 4. Servius ad Virgil. lib. XII. Æneid. p. 134. ex Varrone. *Juturna inter proprias Deas Nymphasq; ponitur. In bujus honorem festa celebrantur Juturnalia dicta, seu feria juturne ab artificibus, qui aqua aliquid excrcerent.* Huic Deæ Lutatius Catulus templum fecit in Campo Martio, prope aquam Virginiam, in regione Flaminia. Vide quæ notat Lud. de la Cerda ad I. Virgil. & Vosius Theol. Gentil. lib. VIII. c. 6.

THES. IV.

*Nec satis dixi Ipsa Valetudo dea erat, de cujus cultu proximè dicemus.*

THES. V.

*Atque hæc sunt nostræ meditationes de Sanitatis Præsidiis, quas mihi lecto affixo adversa mea valetudo expresit. Tu, Amicissime Lector, erratis veniam dabis; & illud Ivonis Villiomari (sive Josephi Scaligeri) in fin. animadvers. in Loc. contr. Titii pensitabis:*

Nem

Nemo est mortaliū, quem non aliqua pars ignorantia attingat,  
hanc contagionem ex ipsa mortalitate contraximus. Nam  
homo cum errat, humanitū errat. Errorem autem in ho-  
mine calumniari, est toti ipsi mortalitati convicium facere.

S. D. G.

## COROLLARIA.

Historico quoq; convenit divi-  
num auxilium implorare, de  
quo dubitavit Livius, Confer.  
Præceptor noster Magnus  
BOECLER. de usu ex Hist.  
Compos. p. 23.

In quæstione illa, quo tempore  
Mundus sit conditus, conje-  
cturæ illæ prægnantiores vi-  
dentur de tempore verno.

Vini usus ante diluvium fuit.

Para.



21  
Th  
670

Paradisi cognitio quoq; ad Eth-  
nicos pervenit.

Jupiter Belus ipse videtur fuisse  
Nimrod.

Judæos ex Republica bene con-  
stituta, excludendos esse pietas  
jubet.



1077

M. 11





TA  
A



INO  
UTIS  
MAX.  
GRATITUDINIS  
ITATE SUA  
IS LIBERATUS  
ER,

